



1. Conring de antiquissimo statu Helmstedt. 1685.
2. Kestani Catalogus Episcoporum Halberstadiensium. 1586.
3. Sagittam Historie Halberstadiensis 1675.
4. Leimannii Historia Arcanensis. 1708.
5. Antonij Vita Haymonis. Ep: Halberst. 1700.
6. Haeck de Wicmaene Archibp: Magdeburg. 1710.
7. Schmidt ider Hierosol: Henric Leonis. 1711.
8. Lich: Hartk Epistola de Odalrio Ep: Halberst. 1707.
9. Kuhnii Diplome Foundationis Bergensis. 1710.
10. Meyer de claris Fischens. 1695.
11. - de Bojorum mynitionibus et claris Bohemis. 1710.
12. Maden de S. Laurentio et Monast. Sheninsensi. 1688.
13. Raben de Onyine Gentir Heimbunicæ. 1683.
14. Nelle de itinenbris sacris Lubecensium 1711.

65 Ppp.  
00280



G. q. 127.

Stiz 0. 2. lit. F. nr. 10





3

EPICEDION  
**IN OBITVM**

REVERENDISSIMI ET ILL.  
lustrissimi Principis ac Domini, Domini EBER-  
HARTI AB HOLL, Episcopi Lubecensis,  
Administratoris Verdensis, ac Domini  
in Lunæburgo, &c.

Scriptum

à

MELCHIORE NEOFANIO ECCL-  
siæ Brunovicensis ad D. Petrum Pastore:



ANNO M. D. LXXXVI.

Mense Iulio.

# EPICEDION

**H**eu, Teutonicæ cecidit flos nobilitatis,  
Illustres inter primus honore viros,  
De celebri HOLLORVM prognatus sanguine , primum  
Qui tenet in veteri nobilitate locum:  
Ternas ingenti solus virtute cathedras  
Qui rexit princeps haec tenus eximias:  
Hunc Musa & pietas ad tantos vexit honores,  
Virtus, Iustitia, & religionis amor:  
Nunc Musa & pietas, Virtus, Astræaq; raptum  
Fundentes tristis carmina voce dolent,  
Ante diem humanis exemum rebus, in annos  
Qui tamen æternos vivere dignus erat:  
Pontificisq; sui, Verdum, Lunæq; vetusta  
Arx obitum celerem & magna Lubeca doles.  
Tota viri & tanti luget Germania fatum,  
Tristis ob eceptos tot modo morte duces.  
Atq; sacrum sumta cætum testudine Apollo  
Conuocat ad tumulum, triste canitq; melos.  
Dumq; sedet mœstas inter sine mente sorores,  
Nec qua tristitiam leniat arte videt,  
Sume chelin dixit veterum memor optima rerum  
Musa, & iucundo tempora falle stylo.  
Materiamq; pij prudenter carminis aptam  
Delige, & historijs pectora flecte sacris.  
Illa, sui ad nutum regis se sedula flectens,  
Artifici tetigit plectra sonora manu,  
Atq; ait, antiquos lugubri carmine fastos  
Dum repeto, & memori mente revolvo libros  
Qui prima sacros monstrant ab origine Patres  
Quos posuit cathedræ magna Lubeca suæ,  
Quotquot ad illustrem longinquis sedibus urnam  
Venisti, memori hos mente notate modos:

HENRICVS

HENRICVS veteri Guelphorum è sanguine, nomen  
Fortia cui propter facta LEONIS erat,  
Hasce suo imperio terras quas circuit Albis  
Et Rhenus fluuijs alluit ipse suis,  
Cum premeret solus, passimq; per oppida & urbes  
Iura daret, nutu cogeret atq; suo,  
Hanc primum veteri translatam ex arce cathedram  
Arbitrio induxit mænibus ipse suo.

Et primum, Bavarum de nobilitate, GEROLDVM,  
Pontificem cathedralm iussit habere novam,  
Hunc secum Ausoniam LEO fortis duxit ad urbem,  
Fortia pro magno Cæsare bella gerens,  
Ingenium ducis hic mira informaverat arte,  
Hinc habitus tanto dignus honore fuit.  
Quatuor officio sed cum vix præfuit annis  
Per fata excitus de statione fuit,  
Sumtibus hic magnis urbem construxit Vthinam,  
Vir totus studijs deditus atq; Deo.

CONRADVS, frater defuncti præsulis, ante  
Riddageshusij Cœnobiarcha fuit,  
Qui confirmatus vicino à præsule fundos  
Vastare effusis flumina vidit aquis.  
Immemor officij paulò post ille Leonis,  
In promotorem non bene gratus erat  
Deseruitq; ducem, motus formidine, regi  
Inuisum Ausonio principibusq; viris,  
Munitam tradens urgentibus hostibus urbem,  
Cumq; ipsis rupto fœdere iunctus erat:  
Tandem, cum facinus culpamq; agnouit, amico  
Fœdera restituit cum duce scissa prius.  
Cumq; Palestinæ sanctas inviseret urbes  
In magna occubuit, flente LEO N E, Tyro.

A 2

Cum

GEROLDVS  
primus Episcopus Lu-  
becensis, Anno 1154.

CONRADVS  
Bavarus, II. Episco-  
pus, Anno 1102.

HENRICVS  
Abbas Aegidianus  
Brunsvici, III. E-  
piscopus, Anno 1168.

Cum sociis remeans Syriæ de finibus heros  
Magnanimus, secum nuntia sæva ferens  
Præfulus amissi tristis de morte, petitus  
Brunsviga. HENRICVS præfulus ab urbe fuit.  
Rexerat hic mores studia atq; Brunonis in urbe  
Ante iuventutis, non sine laude, piae.  
Hunc LEO dux secum peregrinas nuper in oras  
Duxerat, ut Græcos vinceret ore viros.  
Quos, litem sacro de pneumatè quando movebant,  
Vir magna vicit dexteritate gravis.  
Hunc coluit summo Fridericus honore Monarcha.  
Et Medicum imperij misit ab urbe suum.  
Nulla sed adversus mortem medicina paratur,  
Extinctus crebris febribus ergo fuit.  
Post mortem vitæ monumenta æterna relinquens,  
Et magnum ingenij post pia fata decus.

CONRADVS  
Cancellarius Impe-  
ratoris, IIII.  
Episcopus, Anno  
1183.

CONRADVS, mira qui rexerat arte Monarcha:  
Consilia Ausonij, & cum gravitate diu.  
Rege iubente sacrum Henrici suscepit honorem,  
Quem fastidivit sed tamen ipse brevi.  
Cum rege & Solymam armatus concessit ad urbem,  
Et dux militiae deniq; summus erat.  
Abreptus postquam sæva Fridericus ab unda  
Tristitia implæset funere castra suo.  
Exorto tandem pergit miser ense tumultu,  
Insidys populi perditus ipse sui.

THEODORI-  
cus Præpositus in  
Segebergio, V.  
Episcopus, Anno  
1184.

Magno animo oblatum renuit THEODRICVS honorem  
Contentus forti pectore sorte sua:  
Invitus tandem Siegbergo raptus ab arce  
Cum lachrymis spredo liquit honore statum.  
Mos seculo tacitum nostro movet ipse cachinnum,  
Quod precibus sedes querit & ære sacras..

Hoc



Hoc urbis cathedralm cum pace regente Lubecæ,  
Bardicum sœuo perdidit igne LEO.

B E R T O L D V S, præstans eiusdem Ecclesiæ alumnus,  
Electus fratrum post fuit arbitrio.  
Hic cum Brunsviaco contendere prælio Othonem  
De summo Suevum vidi honore ducem.  
Translulit à veteri qui, pacis amore, Lubeca  
Sedem, hac Pontifices quem coluere tenus.

I A N V S ab hoc sacra præclarus in æde Decanus  
Obtinuit pulcra præsulis arte locum.  
In partes virtute suas quoq; trahendo  
Ingressus facile est ad loca summa viam.  
Marte Stedingorum rabiem Subvertere vidit  
Pontificem, & magnos, non sine cæde, duces.  
Vicinum & Comitem est post prælia fortia Adolphum  
Miratus Monachis se sociare sacriss.

Doctus ad arctoos abiturus Livonas, ægrè  
Se spretum A L B E R T V S vidi & indoluit,  
Exiliumq; tulit patienter in vrbe Lübeca,  
Præsule quæ paulò post spoliata fuit.  
Defuncti ing; locum hunc, pietatis amore, recepit,  
Donec eum peteret Livonis ora lubens.

Miſsus ab Ausonio Brabantus rege V Vilhelmo,  
Belgica qui quondam rexerat arva comes.  
Vrbis contemta cathedra & post terga relinquens,  
I A N V S, quem geminis Bregela stringit aquis.  
Hancce, Boruſorum neglecta, prætulit oram,  
Vixit at hoc ipso pauper in opsq; loco.  
Holsatum ad sese bona postquam præsulis aula  
Traxerat, & magnas inde tenebat opes.

A 3

Morte

B E R T O L D V S  
Canonicus Lubecensis,  
VI. Episcopus, Anno  
1211.

I O H A N N E S  
Decanus, VII. Epis-  
copus, Anno 1235.

A L B E R T V S  
Scholaſticus Ecclesiæ  
Bremensis, VIII.  
Episcopus, An. 1247.

I O H A N N E S  
Deist Brabantus IX.  
Episcopus, An. 1253.

Morte peregrinis tandem velut exul in oris  
Romani perijt regis amore miser.

IOHANNES  
Tralavius Schola-  
sticus Ecclesiæ Lube-  
censis, X. Episcopus,  
Anno 1260.

BVRCHARTVS  
Sarkius Cantor, XI.  
Episcopus, An. 1277.

HENRICVS  
Bocholt, ciuis Lube-  
censis, XII. Episco-  
pus, Anno 1317.

IOHANNES  
Muel, XIII. Epis.  
Anno 1341.

BERTRAMVS  
Cremon. XIV. Epis.  
Anno 1351.

Nominis eiusdem vacuum suscepit honorem  
Præful, collegis maior honore suis.  
Extruxit magnis regalem sumtibus aulam  
Et custoditas dilapidavit opes.

Longævus numero sociorum exemptus honesto  
BVRCHARTVS multos vedit in orbe dies.  
Passus egestatem peregrinas ceſſit in oras,  
Vitaq; ſollicito plena laboris erat.  
Civibus à proprijs cum Clero eſt urbe remotus,  
Et tandem Ausonium fugit ad usq; Papam.  
Perpetuos socijs reditus & commoda multa  
Pectore cum grato conſtituifſet, obit.

Obscuro HENRICVS prognatus in urbe parente:  
Ingenti patriam rexit honore suam.  
Hunc ſtudium ad tantos Medicinæ evexit honores,  
Cui iuvenis totus deditus usq; fuit.  
Inter Maiores Præful ditiſſimus omnes  
Sparsit amore graves posteritatis, opes..

De Mulo cui nomen erat genitore IOHANNES  
Plebeio natus, relligiosus homo.  
Hic primum foſſis munivit & aggere Vthinum,  
Quod tunc oppidulum Præfulis aula fuit.  
Vedit & imperij motus, cum tres ſimul uno  
Imperij gererent tempore ſceptra duces..

BERTRAMVS plures pro posteritate coemittit  
Sollicitus villas, auxit easq; bonis.

Holsatum

Holsatum Henricus regeret cum ferreus aulam,  
Mœnia defendit iure vetusta suo.

A socijs electus Cleendenſius antè IOHANNES  
NICOLEO ceſſit Misnico, amore Papæ.  
Hunc qui iure suo Lipsensi misit ab urbe,  
Atq; illi munus Pontificale dedit.  
Ipſe tamen sedis patriæ pertæſus amore  
Huius, Mysorum ad rettulit arva pedem.

Praeful's arbitrio summi GISENHEIMIVS ergo  
Redditus invit' fratribus inde fuit.  
Foyerat ante sua Quartus quem Carolus aula  
Cui tunc Imperij tradita cura fuit.

Tandem à collegis electus, ut antè, IOHANNES,  
In senio accepit Pontificale decus.  
Tardius admissus vix uno præfuit anno,  
Matura ſubijt raptus & aſtra nece.

Ordine patritio natusq; EBERHARTVS in urbe  
Splendorem generis auxit honore novo.  
Consulis officium frater cum laude gerebat,  
Vestales inter primaq; virgo ſoror.

Impositum à ſummo ſibi munus Praefule IANVS  
E fratrum electus ordine ſuſtinuit.  
Plurima qui pacis neglexit amore quietus  
Commoda, nam magnæ vir probitatis erat.

Nominis eiusdem Praeful pijs, ortus ab urbe  
Quæ vetus Hanevo à Principe nomen habet.  
Qui quondam infausto congressus Marte tyranno  
Cum Dano, hoc animam fudit ab ore loco ::

A 4

Cum

NICOLAVS  
XV. Episcopus, Anno 1378.

CONRADVS  
Gisenheimius Secretarius  
Caroli IIII.  
Imperatoris,  
XVI. Episcopus,  
Anno 1378.

IOHANNES  
Cleendenſius, Ciuis  
Lubecensis, XVII.  
Episc. Anno 1386.  
EBERHARDVS  
Attendorne, ciuis  
XVIII. Episcopus,  
Anno 1387.

IOHANNES  
de Dūlmen, XIX.  
Episcopus, Anno 1399.

IOHANNES  
Schelen, Hannoverensis,  
XX. Episcopus,  
Anno 1419.



Cum socijs tribus Ausoniam hic contendit ad urbem  
Et Cathedræ eretas ante recepit opes.  
Adversus Scythicum sequitur dum castra tyrannum  
Finibus Hunnorum febre perustus obit.

NICOLAVS  
Sagavius ex Decano  
Episcopus XXI.  
Anno 1439.

Integer ac vitæ studijsq; addicetus honestis  
NICOLEOS prudens ingenioq; sagax.  
Thesauros magnis impensis pauperum in usum  
Constituit, multo struxit & ære domos.  
Selectos itidem pro posteritate libellos  
Collegit, studio depositiq; pio  
Maiorem oblatum sibi Livonas inter honorem  
Contentus sprevit deniq; sorte sua.  
Cumq; suam denos cathedralm rex isset in annos  
Ante diem extinctum febris acerba tulit.

ARNOLDVS  
VWestphalus, XXII.  
Episcopus, Anno  
1448.

Nec minor ARNOLDVS meritis, pietate nec illo  
Inferior, sacro hoc dignus honore fuit.  
Incubuit studijs à prima ætate decoris,  
Et docuit magna cum gravitate Scholas.  
Tandem Pontificis suscepto munere, magnis  
Regibus in precio Principibusq; fuit.  
Lunæburgiacos Dano cum rege tumultus,  
Atq; Borussorum prælia composuit.  
Tecta domus solido munivit splendida plumbo  
Divinæ, & sacras sumtibus auxit opes.  
Aurea Pontificum mensæ ornamenta reliquit,  
Aucta librīs sacris Bibliotheca fuit.

ALBERTVS  
Krumdyck Nobilis  
Holsatus, XXIII.  
Episcop. Anno 1466.

Holsatum ALBERTVS de stemmate natus equestri  
Ingentes temerè dilapidavit opes.  
Dum regum magnis sequeretur sumtibus aulas,  
Et bona cognatis traderet ampla suis.

Ornamenta

Ornamenta tulit, contraxit & æs alienum,  
Thesauros sacræ vendidit atq; domus.  
Maturans animi mortem mærore recessit,  
Ciubus & cunctis spretus in urbe fuit.

Direpta ut THOMAS rursum cognomine GROTO  
Colligeret studio diyes & arte bona  
Præfulus à socijs ad honorem eveclius utrumq;  
Neglexit populi spemq; sefellit inops.  
Nec cathedræ deses quæsivit commoda sacrae  
Pro merito hinc socijs spretus & ipse fuit.

Impiger Hammonis THEODRICVS natus in urbe  
Virtutis specimen tum pietatis erat.  
Holsatum hunc princeps magno Fridericus amore  
Fovit, & in summo semper honore habuit  
Vidit ab Ausonio Raymundum præfule missum  
Inq; suam magno duxit honore domum.  
  
VVestphalus hac ipsa prognatus in urbe VVILHELMVS:  
Tam celebri dignus Præful honore fuit.  
Aulas vitavit procerū regumq; potentum,  
Atq; suæ vixit solus, ut ante, domi.  
Vita secundum ipsi vix cum durasset in annum  
Cum vita posuit Pontificale decus.

Bis septem hac placide vivebat in æde GRIMOLDVS:  
Post annos, pacem cum pietate colens.  
Illiœ cœpit verax ætate Lutherus  
Dogmata Romani carpere vana Papæ.  
Orbi Tetzelius toti cum venderet auro  
Cœlica cum sacris regna beata bonis..

Hammonis

THOMAS  
Grote, XXIIII.  
Episcopus, Anno  
1489.

THEODORI-  
cus Arndes, Hambur-  
gensis, XXV. Episco-  
pus, Anno 1500.

VVILHELMVS  
VVestphalus, Lube-  
censis, XXVI. Epi-  
scopus, Anno 1507.

IOHANNES  
Grimboldus, XXVII.  
Episcopus, Anno  
1509.

HENRICVS  
Bocholt Hamburgen-  
sis, XXVIII. Epi-  
scopus, Anno 1523.

DETLEVVS  
Reventlo&w, Cancella-  
rius Friderici Regis  
Daniæ, XXIX. Epi-  
scop. Anno 1535.

BALTHASAR  
Ranzovius nobilis  
Holsatus, XXX.  
Episcopus, Anno  
1536.

IODOCVS  
Hutfilter, XXXI.  
Episcopus, Anno  
1550.

Hammonis doctus veniens HENRICVS ab urbe  
Hanc placide sedem rexit & ipse sacram.  
Attonito sacros miratus corde tumultus  
Imperij motus vedit in orbe graues.  
Atq; leves contra Proceres insurgere cætus  
Qui paſſim per agros rustica rura colunt.  
Hic magno accensus Zelo, cum dogma Lutheri  
Arriperent avido peccore in urbe viri.

DETLEVVS primum Frederici regis in aula  
Inter honoratos iussus habere locum  
Defuncto ad sacram hanc pervenit rege cathedram,  
Consilio amovit, bellaq; sœva suo.  
In celebrem iuvenis cum sumeret arma Lubecam  
Rex, per vasta movens æquora ab arce rates.

Nobilium transalbiaco viget inclyta in orbe  
RANZOVI Anorum nomine clara domus.  
BALTHASAR hinc magnis virtute parentibus ortus  
Hunc tenuit sacrum cum gravitate locum.  
Balthicus Oceani rex per freta vasta vocatus  
Cum longum à socijs ingredetur iter.  
Fædera cum socijs sinceræ religionis  
Facturus contra dogmata vana Papæ.  
Imperij vedit motus, Germania quando  
Ob dogma experta est prælia mota sacrum.

Insigni celebris Præsul virtute IODOCVS  
Æternam laudem posteritatis habet.  
Dogmatis Ausonij si non flagrasset amore  
Tantoperè ô manus ferret ab orbe decus.  
Quos tamen errores Osiander movit in urbe  
Bregela quam duplici prænatat amne rapax.

Odit.

Odit, & extremè blasphemas peccatore voces  
Est detestatus cum gravitate pio.

Danorum regis qui Cancellarius aulam  
Rexerat, à Christo cui grave nomen erat.  
ANDREAS, ortum sectæ de nomine IESV  
Cui nomen, vidit, vir gravis atq; pius.  
Quattuor hic sacræ vix sedi Praefuit annis,  
Tunc cum rege suo mortuus astra subit.

IANVS Tithmarsos TIDEMANNVS vidi in armis,  
A iuvene oppressos rege, volente Deo.  
Vidit, & exemplo post hæc in fata recessit,  
Fortunæ tristis indoluitq; vices.

Hunc quem nunc, eheu, tumulo mandamus honesto,  
Excepit, magno non minor ipse duce.  
Nobilis & præstans Princeps EBERHARDVS ab Hollo  
Quem magni fecit semper Apollo virum.  
Atq; ideo hanc Musis venit comitatus in urbem  
Ut celebret tanti funera sancta viri.  
Maiores post se qui omnes virtute reliquit,  
Prædictus & vera nobilitate fuit.  
Atq; sacri cultor verbi, magnusq; Scholarum  
Mecænas studij & cultor & altor erat.  
Illius æterno mansuras tempore laudes  
Musarum ipse suo proferet ore pater.

Sic ait, & cytharam posuit, vocemq; repressit,  
Musa, pijs crebrò fletibus ora rigans.  
At comitum princeps Musarum & rector Apollo  
Nulla mei superest vis ait ingenij.

Carminis

ANDREAS  
Barby Cancellarius  
Christiani III. regis  
Daniae, XXXII.  
Episcopus, Anno  
1555.

IOHANNES  
Tideman, XXXIII.  
Episcopus, Anno  
1559.

EBERHARDVS  
ab Holle, XXXIV  
Episcopus Lubecensis,  
Administrator Ver-  
densis, & Dominus in  
Lunæburgo.

*Carminis interiit tanto cum Principe virtus,  
Inq[ue] vigor docto pectore mentis abest.  
Quamprimum tempus deinceps aliquando dolorem  
Leniet hunc tantum post memor huius ero.  
Atq[ue] grave insigni carmen dictabo Poetæ  
Qui nostro huic oneri munere sufficiet.  
Ille sui doctis encomia vera patroni  
Arguto & laudes carmine sponte canet.  
Quem præsul summo dum vixit fovit amore,  
Atq[ue] loco Lunæ fovit in urbe sacro.  
Interea Aonios unâ redeamus ad amnes,  
Fingentes tanto carmina digna viro.  
Fata quiescenti sacra nunc molliter urna  
Extremum optantes prospera ad usq[ue] diem.*

F I N I S.







AB:97685

X2205398

VOA7





## Farbkarte #13

B.I.G.

